

nec, ut subveniatur tali puero, tenetur per miraculum, aut turbare naturalem rerum ordinem, aut puerum in vitam conservare plusquam exigit ordo naturalis.

DISSERTATIO II.

De gratia habituali.

Quaeres 1. **Q**uid sit gratia habitualis?

Resp. Est, donum Dei supernaturale, homini intrinsece et permanentiter inhaerens, quo redditur formaliter sanctus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, et haeres vitae aeternae.

Dicitur 1. *Donum supernaturale*, id est, naturae vires superans.

Dicitur 2. *Intrinsece inhaerens*, quia infunditur animae, eamque intrinsece informat, et reddit formaliter sanctam, juxta illud 1. Corinth. 3. *Nescitis quia templum Dei estis vos, et Spiritus Dei habitat in vobis.* Et illud 1. Joan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* Ergo gratia sanctificans habitat et manet in homine justo, qui consequenter fit sanctus per donum internum animae ejus inhaerens.

Ergo, haeretica est doctrina Calvinii docentis hominem non esse justum per interiorem justitiam, sed duntaxat per extrinsecam imputationem justitiae Christi, qua ejus obteguntur peccata, ita ut gratia sanctificans sit ipsamet justitia Christi per fidem apprehensa et nobis imputata, non quidem per fidem qua simpliciter credimus, sed qua firmiter confidimus in promissionibus divinis, ita ut apud eos fides nihil sit aliud, quam certa fiducia, qua, veluti manu, apprehendimus justitiam Christi, tanquam vestem, qua nos operimus, juxta illud Rom. 13. *Induimini Dominum Jesum.*

Objicies. Christus, ex Apost. 1. Cor. 1. *Factus*

est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio; ergo justus efficitur per justitiam Christi nobis imputatam.

Resp. Dist. ant. Factus est nobis justitia, &c. efficienter et meritorie, *conc.* formaliter, *nego.* Hic enim per metonymiam, sumitur causa pro effectu: unde Concil. Trident. *sess.* 6. *cap.* 7. exponens causas justificationis, ait: *Unica formalis causa, justificationis, est justitia Dei, non qua ipso justus est, sed qua nos justos facit.* Et can. 11. *Si quis dixerit homines justificari, vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhereat: aut etiam gratiam qua justificamur esse tantum favorem Dei, anathema sit.*

Dicitur 3. *Permanentiter.* Quia confertur per modum habitus stabilis et permanentis, ut patet exemplo parvulorum, qui per Baptismum sunt permanentiter justus, nec capaces sunt ullius actus.

Dicitur 4. *Quo redditur filius Dei adoptivus.* Quia infusio gratiae habitualis habet speciem divinae cujusdam generationis, quae nos efficit divinae consortes naturae. 2. Petri. 1.

Dicitur 5. *Haeres vitae aeternae; Nam Roman. 8. Si filii, et haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.*

Quaeres 2. *Utrum gratia habitualis distinguatur realiter a charitate?*

Resp. Affirmant Thomistae; probabilius negant Scotistae, quia in Scripturis omnes effectus gratiae habitualis tribuuntur charitati.

Quaeres 3. *Quot sint effectus gratiae habitualis?*

Resp. Sunt duo, justificatio, nimirum, et meritum.

Quaeres 4. *Quid sit justificatio?*

Resp. Definitur a Concil. Trid. *Sess.* 6. *cap.* 4. *Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius pri-*

mi Adae, id est, a statu peccati, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam, Jesum Christum.

Quaeres 5. *Utrum in justificatione impii vere deleantur peccata?*

Resp. affirm. Prout Ecclesia in Concil. Trident. sess. 5. can. 5. definivit contra Calvinum: *Si quis per Domini nostri Jesu Christi gratiam, quae in baptismo confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.* Deus enim Isaiae 43. ait: *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et Joann. 11. dicitur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; ergo.*

Objicies. In justificatione peccata solummodo teguntur, non imputantur, dissimulantur, Psalm. 31. *Beati... quorum tecta sunt peccata.* Et, *beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Et Sap. 11. *dissimulas peccata hominum propter poenitentiam.*

Resp. Nego ant. Et dico ad primum, quod peccata ita tegantur ut non remaneant, sed deleantur, dicitur enim, *Beati quorum remissae sunt iniquitates;* et Psalm. 50. *Dele iniquitatem meam.* Dico ad secundum, quod *non imputare*, idem est ac *non punire* id quod non est, ut insinuat secunda pars illius versus: *Nec est in spiritu ejus dolus*, id est, peccatum; si non est, quomodo remanet?... Dico ad tertium, quod *dissimulari* sumitur pro *delere, auferre*, unde Syriaca versio habet; *Misereris omnium... et auferis iniquitates hominum, quum poenituerit eos.*

Quaeres 6. *Utrum in justificatione impii fiat interior animi renovatio, per gratiam animae ejus inhaerentem?*

Resp. affirm. Ut Concil. Trident. Sess. 6. cap. 7. definivit contra Calvinistas. *Justificatio, inquit, non est*

sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum. Nam, Ephes. 4. dicitur: *Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.*

Objicies 1. Joann. 5. dicitur: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolveret opera diaboli.* Ergo justificatio consistit in sola peccatorum remissione.

Resp. Nego consequ. Nam opera diaboli non dissolvuntur, nisi per deletionem peccati, et novae vitae supernaturalis largitionem: Christus enim Joann. 10. ait: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.*

Quaeres 7. *Utrum in adultis praerequirantur dispositiones ad justificationem?*

Resp. affirm. Nam Isaiae 45. dicitur: *Convertimini ad me, et salvi eritis.* Atqui illa conversio ad Deum fieri nequit, absque motu liberi arbitrii; ergo, &c. Hinc Prov. 16. dicitur: *Hominis est animam praeparare, nimirum, cum adjutorio Dei tangentis cor hominis per auxilium gratiae,* ait D. August. *lib. ad Bonif. cap. 9.* ratio a priori, est voluntas Dei, qui noluit servare hominem sine hominis cooperatione.

Objicies. Si ad justificationem requireretur actus liberi arbitrii, Deus expectaret voluntatem nostram; atqui ex Concil. Arausicano II. *Ut a peccato purgemur, Deus voluntatem nostram non expectat;* ergo &c.

Resp. Dist. maj. Deus expectat voluntatem nostram, quae excitata a gratia praeviente sese ad gratiam justificationis cum gratia adjuvante se praeparat, *conc.* quae praeveniant gratiam excitantem et adjuvantem, *nego maj.* Hoc ultimo sensu Concil. Arausicanum dicit: *Deus voluntatem nostram non expectat.*

Quaeres 8. *Quaenam dispositiones requirantur ad justificationem?*

Resp. Ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. requiruntur:

1. *Fides*, juxta illud Matth. ultim. *Qui non crediderit, condemnabitur.*

2. *Timor divinae justitiae*. Eccli. 1. *Timor Domini expellit malum: nam qui sine timore est, non poterit justificari.*

3. *Actus spei*. Rom. 8. *Spe salvi facti sumus.*

4. *Actus dilectionis Dei*: nam. 1. Joann. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Quenam autem dilectio requiratur, dicetur in Dissert. de Poenitentia.

5. *Poenitentia*, de qua Act. 2. dicitur: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti, id est, gratiam justificantem.*

Objicies 1. Sola fides ad justificationem disponit, juxta illud Matth. 9. *Fides tua te saluum fecit.*

Resp. Nego. ant. Quod damnatum est in Calvino a Concil. Trident. can. 9. *Si quis dixerit sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur. . . . anathema sit.* Textus allatus intelligi debet de fide formata, quae per charitatem operatur.

Inst. Apost. Ephes. 2. a dispositionibus justificationis excludit opera: *Gratia enim estis salvati per fidem. . . . non ex operibus; ergo &c.*

Resp. Dist. ant. Excludit opera sine fide et gratia facta, conc. cum gratia et fide facta, nego. Itaque Apostolus solum rejicit opera ante fidem facta, quae non sunt salutaria; quia cum fides sit omnis meriti fons et prima origo, nullum est ante ipsam opus meritorium. Ita D. August. lib. De praedest. Sanctor. cap. 7. *Ideo dicit Apostolus justificari hominem ex fide, et non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur caetera, quae proprie opera nuncupan-*

tur, in quibus vivitur. Et, lib. De grat. et liber. arbitr. cap. 7. *Homines non intelligentes quod ait Apostolus, inquit, putaverunt eum dicere homini sufficere fidem. . . . etiamsi opera bona non habeat, quod absit.* Loquitur ergo Apostolus de fide vestita operibus spei, charitatis, poenitentiae, uno verbo, de fide, quae per charitatem operatur, ad Galat. 5.

Quaeres 9. *Quenam fides praeparat ad justificationem?*

Nota. Triplicem fidem distinguunt haeretici hujus temporis, duce Calvino, nempe 1. *fidem historicam*, seu *dogmaticam*, qua credimus vera esse quae a Deo revelata et promissa sunt. 2. *Fidem miraculorum*, quae est, juxta Calvinum, facultas edendorum miraculorum. 3. tandem, *Fidem promissionum*, quae est certa fiducia, qua credimus veras esse promissiones de gratuita peccatorum remissione per Christi merita; et hanc iterum duplicem esse dicunt, nempe, *generalem*, qua credimus omnibus, qui in Christum credunt promissam esse peccatorum remissionem; et *particularem*, qua unusquisque sibi diviniam promissionem applicans, credit, seu potius confidit, sibi omnia sua peccata esse dimissa per Christum, hancque esse quae disponit ad justificationem; contra quos

Resp. Fides necessaria ad justificationem est fides historica, seu dogmatica, ut definiit Concil. Trident. sess. 6. can. 12. *Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis per Christum. . . . anathema sit.* Ratio est quia Scriptura, actum fidei ad justificationem disponentis describens, illum explicat per assensum datum divinae revelationi, Marc. ultim. *Praedicate Evangelium omni creaturae: qui crediderit (omnia in eo contenta) salvus erit.*

Objicies. Christus, Matth. 9. dixit: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Ergo. &c.

Resp. Nego conseq. Equidem ad remissionem peccatorum requiritur, fiducia, quae est actus spei, quae peccator sperat sibi remittenda peccata per Christum; sed nec sola requiritur, cum praesupponat actum fidei, quo peccatores *libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata, et promissa sunt*, ut docet Concil. Trid. cap. 9. Nec est illa haereticorum fides, qua unusquisque credit sibi remissa esse peccata, sed est vera spes theologica, ut constat ex ipso textu.

Quaeres 10. *Utrum justificatio sit aequalis in omnibus?*

Resp. negative, ut de fide definitum est contra Jo. vinianum, et iterum definitum Concil. Trident. contra Lutherum et Calvinum: nam 1. unus altero est justior. Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* 2. Justitia potest augeri, 2. Petri 3. *Crescite in justitia*; et Apoc. ult. *Qui justus est, justificetur adhuc.* Ergo.

Quaeres 11. *Utrum justitia sit amissibilis?*

Resp. Est amissibilis, et revera amittitur per subsequens peccatum, ut definitum Concil. Trident. can. 23. *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque adeo eum qui labitur et peccat, nunquam vere justificatum fuisse; anathema sit*, Nam, Ezech. 18. *Cum avertit se justus a sua justitia, et fecerit iniquitatem, morietur in eis; in injustitia, quam operatus est, morietur.* Hinc Apost. Philipp. 2. hortatur, ut cum metu et tremore salutem nostram operemur.

Objicies. Dicitur, 1. Joann. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, nec peccare potest, quia ex Deo natus est.* Ergo justus a sua justitia excidere non potest.

Resp. Nego conseq. Textus enim debet intelligi in sensu composito gratiae justificantis, et filiationis di-

viniae: *Cum enim peccat homo*, ait D. August. lib. De grat. cap. 21. *non secundum charitatem, sed secundum cupiditatem peccat, secundum qua non est natus ex Deo.*

Inst. 1. Corinth. 13. Charitas nunquam excidit; ergo.

Resp. Nego conseq. Sensus enim est quod charitas perseveret in Patria, ubi alii habitus fidei et spei cessabunt.

Quaeres 12. *Utrum homo possit esse certus, certitudine fidei, se esse justificatum?*

Resp. Non potest citra specialem revelationem, prout definitum Conc. Trid. contra Lutherum; nam, Eccli. 9. dicitur: *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo utrum amore aut odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.* Unde Apost. 1. ad Cor. 4. ait: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui enim me judicat, Dominus est.*

Objicies. Apostol. Rom. 8. ait: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus... neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei; ergo.*

Resp. Nego conseq. Ex hoc textu sequitur equidem, quod nulla creatura possit justum invitum a sua justitia dimovere; sed non sequitur quod justus possit scire, absque speciali revelatione, quod sit justus.

Quaeres 13. *Quid sit meritum?*

Resp. Est opus retributione dignum.

Quaeres 14. *Quotuplex sit meritum?*

Resp. Duplex: nempe, meritum *de condigno*, cui praemium debetur ex aliqua justitia; et meritum *de congruo*, cui praemium debetur ex aliqua duntaxat decentia et congruitate: quod si habeat promissionem adjunctam, dicitur *de congruo infallibili*; si vero non habeat promissionem adjunctam, dicitur *de congruo fallibili*.

Quaeres 15. *Utrum bona justorum opera sint meritoria?*

Resp. affirm. Prout Conc. Trid. definit contra Calvinum et Lutherum: *Si quis dixerit, ait can. 32. hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita;.... anathema sit.* Nam, *Eccli. 13.* dicitur: *Ne verearis usque ad mortem justificari, quia apud Dominum est merces bonorum operum.*

Objicies. Rom. 6. dicitur, *Gratia autem Dei vita aeterna; ergo non est merces.*

Resp. Nego conseq. Nam vita aeterna dicitur et merces et gratia, quia principium meriti habemus ex gratia gratuito data: merces vero, quia retribuitur bene operantibus per vires a gratia acceptas.

Insti. Gloria est nostra haereditas, Rom. 8. *Si filii et haeredes;* atqui haereditas confertur filiis absque ullo merito; ergo.

Resp. Dist. maj. Est haereditas, jure adoptionis ineunda, *conc.* jure nativitatis, *nego.* Porro conditiones adoptionis divinae, sunt observatio mandatorum, *Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Quaeres 16. *Quot conditiones requirantur essentialiter ad meritum de condigno?*

Resp. Requiritur sex, nempe, duae ex parte hominis merentis; tres ex parte actus meritorii; et una ex parte Dei praemiantis.

Ex parte hominis, requiritur, 1. quod sit justus, nam Christus, *Joann. 15.* dicit: *Sicut palmes non potest ferre fructum ex semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me* (per gratiam sanctificantem) *manseritis....* 2. Quod sit viator, *Joann. 9. Venit nox, quando nemo potest operari;* ubi per noctem, intelligit mortem.

Ex parte actus, requiritur 1. quod sit liber a necessitate; unde haeretica est haec Jansenii prop. *Ad*

merendum, vel demerendum, in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.... 2. Quod sit bonus et honestus, 2. Petri 1. *Satagite ut per vestra bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis....* 3. Quod sit supernaturalis, tum in entitate, ita ut eliciatur ex gratiae actualis auxilio, tum quoad modum, ita ut eliciatur ex imperio charitatis. *Hoc amore opus est,* inquit D. August. lib. 4. contra Julianum, cap. 3. *ut bonum beatificum sit,* id est, meritorium beatitudinis.

Ex parte Dei, requiritur promissio mercedis; nam Deus non potest nobis debitor fieri, nisi intercedat promissio ex parte ipsius; unde vita aeterna dicitur in Scripturis promissio. *Hebr. 10. Ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.*

Quaeres 17. *Utrum justus possit mereri reparationem suam post lapsum futurum?*

Resp. Non potest illam mereri *de condigno,* quia nullibi id promisit Deus: potest tamen illam mereri de congruo fallibili, quia eam petit cum Propheta, *Psal. 70. Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me;* atqui frustra eam peteret, nisi posset mereri de congruo, et impetrari; ergo.

Quaeres 18. *Utrum justus possit mereri de condigno gratiam perseverantiae?*

Resp. Non potest secundum viam ordinariam, quia nulla in Scriptura reperitur talis promissio a Deo facta; potest tamen mereri de congruo fallibili; nam ex *Div. August. lib. De dono persever. cap. 6. Hoc donum Dei suppliciter emereri potest;* atqui suppliciter emereri, est mereri de congruo; ergo.

Quaeres 19. *Utrum justus possit alteri mereri primam gratiam?*

Resp. Non potest *de condigno,* quia non promisit Deus se daturum aliis quod in eorum favorem petie-

rimus; potest tamen *de congruo fallibili*, juxta illud Jacobi 5. *Orate pro invicem, ut salvemini*. Hinc Deus iratus amicis Job, eos remittit ad illum, ut pro ipsis oret, et impetret veniam peccati eorum; et August. *Serm. 2. de Sanctis*, ait: *Si Martyr Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet*.

TRACTATUS VII.

DE ACTIBUS HUMANIS.

Nota. **A**gemus hic de fine, natura, et moralitate actuum humanorum.

CAPUT I.

De fine actuum humanorum.

Quaeres 1. **Q**uid sit finis?

Resp. Definitur: *Id, cujus gratia aliquid fit.*

Dicitur 1. *id*, hoc est, bonum, sive verum, sive apparens, quia voluntas a solo bono allici et moveri potest.

Dicitur 2. *Cujus gratia*: id est, cujus amore et fructu desiderio agens operatur.

Dicitur 3. *Aliquid fit*: id est, assumitur medium, quod ad finis assecutionem inservire posse judicatur. Hinc patet finem esse primam omnium causarum.

Quaeres 2. *Quomodo dividitur finis?*

Resp. 1. Dividitur in finem, *qui, cui, et quo.*

Finis qui, est objectum quod per media consequi intendimus; unde vocatur ab aliquibus, finis *objectivus*.

Finis cui, est suppositum cui appetimus finem *qui*,

sic proximo appetimus sanitatem, beatitudinem, &c.

Finis quo, est actio qua finis *qui* possidetur: unde vocatur etiam finis *formalis*. Sic Deus est finis *qui*, seu *objectivus* hominis, et visio beatifica est finis *quo*, seu *formalis*.

2. *Dividitur*, in finem *operis* seu *intrinsecum*, et finem *operantis*, seu *extrinsecum*.

Finis operis, est res illa ad quam opus ex se ordinatur. . . . *finis operantis*, est ille quem sibi proponit operans: sic in eleemosyna finis *operis*, est sublevatio pauperis, finis *operantis*, est vel amor Dei, vel vana gloria, &c.

3. *Dividitur*, in *ultimum, et non ultimum*, seu intermedium.

Finis ultimus, est is qui ita intenditur, ut in eo sistatur. . . . *Finis non ultimus*, seu *intermedius*, est is qui ita intenditur, ut ad ulteriorem finem referatur, tale est pharmacum quod intenditur propter sanitatem.

Porro si finis *ultimus* sit talis in uno tantum genere, dicitur, *respective ultimus*. Si sit talis in omni genere, ita ut ad aliud referri non possit, dicitur, *ultimatus*, talis est solus Deus.

Quaeres 3. *Quid intelligitur per effectum finis?*

Resp. Intelliguntur actus quibus voluntas tendit in finem.

Quaeres 4. *Quot sunt effectus finis?*

Resp. Sunt octo; scilicet:

1. *Volitio*, seu amor simplex et complacentia, qua bonum voluntati propositum, placet, abstrahendo ab ejus possibilitate aut impossibilitate.

2. *Intentio*, hoc est, desiderium efficax finem obtinendi per media consentanea.

3. *Consilium*, quo inquiruntur media ad finem assequendum aptiora. Hic actus, licet sit ab intellectu elicitus, est tamen effectus finis, quia est imperatus ab intentione efficaci voluntatis.